

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ludwig Hermann Stumpf


Oratio Inauguralis Theologica De Admirandis S. Scripturæ

Duisburgi ad Rhenum: Typis Johannis Sas, Anno MDCCIV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1663232822>

Druck Freier  Zugang





Fe. 1630. 2.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1663232822/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1663232822/phys_0004)

DFG

ORATIO INAUGURALIS
THEOLOGICA
De
ADMIRANDIS
S. SCRIPTURÆ

Habita in Universitate Regiâ
TEUTOBURGENSI

In Auditorio Majori die X. Septemb. M.DCC. IV.

Cùm Sacræ Theologiæ Profes-
sionem Ordinariam

Ritè & solenniter auspicaretur

LUDOVICUS HERMANNUS
STUMPHIUS

Palatinus.



M U
TO
DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Regiæ Typographi,
Anno M. DCC. IV.

Reverendo et Clariss.
G. CONRADU STUMPHIU
V. I. Ministro Vigilanti
simo, Fratris sua longè
et sumatissim

offert
16

non sine tenerissimo
affectione
ibellic Aucto

F.C - 1330².

D E O ,
R E G I ,

E T

ECCLESIAÆ



S A C R U M
D I C A T U M -
Q U E E S T O !

Magnifice D. PRO-RECTOR, Ma-
xime Reverende, atque immortalis
observantiae cultu Venerande D. PRO-
MOTOR & quo Te nunc primum nomi-
ne compello, Collega Honoratissime.

Nobilissime & Amplissime REG.
Majest. Consiliarie, Urbis Prætor
et Academiæ Curator.

Excellentissimi, Consultissimi, Expe-
rientissimi, Clarissimi REGIAE
Universitatis Professores, Collegæ
æstumatissimi.

Et quotquot ad hunc Actum Solennem
affluxisti Fautores atque Auditores
Omnium Ordinum Spectatissimi, ex-
optatissimi.

Tu denique Generosa Studiose Juven-
tutis Corona, Spes Patriæ, Decus
et Incrementum Ecclesiæ !

A 2

Quando

4 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA



Uando Augusti, Potentissimi atque Serenissimi BORUSSIÆ REGIS, Ele^toris Brandenburgici, Domini Nostri, Tutoris, Nutritii ac Musagetæ longè Clementissimi auspiciis Gratosissimis publicum in Hâc Splendidissimâ Academiâ docendi munus pridem mihi demandatum esse audivistis, non diu multumque animo meo deliberandum fuit, quo in argumento potissimum mea versaretur Oratio, quâ nunc provinciam hanc ingredi & capessere constitutum est. Ecce enim Sanctissimæ Theologiæ Spartam ipsis Angelorum humeris contremiscendam huic Homini impositam! Ad explanandam atque enarrandam *Verbi Divini Majestatem* me admirabili ductu Sublimioris Providentiae destinatum, designatum vocatumque esse nôstis Humaniss. AUDITORES, adeoque ab hoc Principio & fonte auspicia capienda esse res ipsa loquitur. Deum Immortalem! Quem demum ad has partes ritè & præclarè obeundas atque administrandas idoneum existimatis Auditores omnium Ordinum Honoratissimi? Rem arduam suscipio & illustri hoc Confessu atque Panegyri haud indignam. Nostri muneris erit debellare errores, juxta Augustini effatum, & fidem defendere, docendoque & pugnando in aciem procedere contra Veritatis Hostes: In hoc cardine & centro nostra in posterum occupari jubetur industria. Quippe in hâc maximè causâ functionis nostræ pondus & momentum omne situm est ut Luce ac

DE ADMIRANDIS S. SCRIPTURÆ.

ac Duce DEO, *mirabilia Legis* atque eminentissimam pf. CXIX.
Cœlestis Veritatis auctoritatem dignitatemque paulo u- ψ. 18.
berius ac enucleatus adstruamus & in apertum quasi
theatrum disquisitionis ac investigationis Vestrae produ-
camus. Illud tamen in animis vestris præstruendum at-
que occupandum arbitror H. A. ut ne plenam & per o-
mnes partes immensi hujus Oceani diffusam longoque
dicendi tractu magnificè incidentem Orationem à me
exspectetis: quippe præcipua saltem Capita & *Summa se-
quar fastigia rerum.*

Quod si, Illustres atque omnium Ordinum Specta-
tissimi AUDITORES, pro Solemnitate favoris, quo
me immerentem pridem complexi estis, nunc etiam
benevolentiae vestrae atque attentionis aura hæsitantibus
rudimentis adspiraverit, ausim confidenter polliceri, me
daturum operam, ut *Magnificentiam Scripturæ* in pau-
pertate angustæ orationis depictam vel saltem adumbra-
tam consentientibus suffragiis intelligatis.

SCRIPTURAM quando dico, PATRES CON-
SCRIPTI, illam dico Epistolam Omnipotens, de Cœlo
ad homines missam, cuius ADMIRANDAS Dignitates
dotesque illustrissimas quasi per transennam representare
conabor: Illud, inquam Sacratissimum Depositum &
κεφαλιον, Illas Legis & Testamenti Tabulas, DEI digito
& dictante Spiritu S. Scriptas, Christi & Martyrum san-
guine obsignatas, sanctissimam fidei & morum Regulam
continentes: Illud potentissimum Divini Consilii volun- Gal. 6: 16.
tatisque testimoniorum & Gratiae atque Revelationis Instru- Esa. 8: 20.
mentum πάντες ἀπόδοχος ἀξιον, quod cum Rabbinorum ¹ Tim. 1: 15.
Doctissimis הַמְקֻדָּשָׁה verè dixeris, nempe *Sanctuarium*
ipsius DEI, eò quod λόγια τῆς Θεᾶς & ἥματα τῆς ζωῆς αἰωνίας Rom. 3: 2.
Cœlesti afflatu exarata nobis ob oculos listat: Nimirum Joh. 6: 68.

6 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

hanc unicam fidei nostræ anchoram solidissimamque ba-
sin, fulcrum & sustentaculum, unius vocis complexu
Gentium Apostolus comprehendere & totius Ecclesie

Eph. 2:20. *Fundamentum appellare non gravatus est, cuius incredi-
bilem atque omnibus numeris absolutissimam abundan-
tissimamque Excellentiam primo loco inde patescere ani-
madvertitis AUDITORES, quod ipsam etiam Ratio-
nem & Vim ejus reflexam sive Conscientiam administram
suffragantem comitemque habeat.* Neque enim quen-
quam Nostrum arbitror crediturum esse V. & N. Testa-
menti Libros Divinam Auctoritatem, sive omni exceptio-
ne majorem omnes obligandi potestatem veritatemque
spirare, nisi Ratio tot Divinitatis fulgentissimis radiis con-
victa & perculsa invictam hanc praerogativam agnosce-
ret, quippe cum Ratio, tanquam *Lucerna Iehovæ*, non

Prov. 20: duntaxat *Admirandas* illas Dotes Divinæ Revelationis, ex-
8. 27. *plorandas* atque *investigandas* sibi sumat, animadvertis-
& perlustrat, sed & ipsa dictet æternas Veritates illasque
Notiones, quas Scriptura amplius illustrat atque confir-
mat. Nonne sortem suam abjectam, in peccata proje-
ctam, Gloriâ Dei indignam & indigam ultrò agnoscit
attentior atque exculta Ratio? nonne impressam & inscul-
ptam vivamque quasi imaginem & speciem DEI intue-
tur? Quippe proclive est existimare, non futurum fuisse,
ut toto spiritu & pectore Salutem Immortalem Mens
Nostra anhelaret, nisi deplorandam suam miseriam, æ-
gritudinem, omnemque calamitatum texturam atque
concatenatam seriem introspiceret; Quis demum ausit
inficiari quod æternas illas Veritates atque, ut cum Ci-
cerone loquar, in *animis nostris informatas Notiones*, de
Existentiâ & infinitis virtutibus DEI omnium Maximi
Judicis, de Honesti ac inhonesti itemque Veritatis ac
Falsita-

Falsitatis perpetuo discrimine, de Naturali inter DEUM & Homines relatione, de Mundi conditu, de primigeniæ noxæ & omnium criminum atrocitate atque suppliciis gravissimis metuendis, aliaque hisce consentanea atque anticipata axiomata, accedens opportunè & sublimior Revelatio supponat, urgeat, excolat atque luculentius persuadeat? Neque enim superbissimum animal Homo horrorem Numinis, vel aliam quamcunque de Majori ac terribili Potentiâ traditionem admitteret unquam, nisi jubente atque suffragante Rationis dictamine se constricatum deprehenderet. Quemadmodum etiam longè fortius excitatur Beneficiis DEI erga Humanum Genus, quæ videntur conjecturam præbere de Gratiâ quâdam maximè optabili ac necessariâ: Neque dubitat sanior Ratio, DEO revelanti credendum esse; Ecce admirandum *Lucis cum Luce consensum!* quæ omnia alibi ube-riùs atque diffusiùs demonstrantur:

Nunc ego lineam meam sequar: nimurum *Admiranda Scripturæ*, sive illius Verbi, quod ad Ecclesiæ institutionem & Gentium adductionem promovendam *Zehova* primùm per Mosen literis consignari jussit. Quanquam enim per bis mille & amplius annos extitisse in Mundo Ecclesiam sive Scripturâ non dissimulemus, *qua-* Vide Hei-
tuor in primis Viris & Sacris Capitibus, *quorum posterior deg. C. T.*
cum priori semper diu satis vixit, revelationem Divinam Loc. III.
custodientibus; deinceps tamen cum Reipublicæ formam DEUS in populo suo constituisset, *Scriptas* tra-
didit *Leges*, ne inertiâ, oblivione, idololatriâ atque insuper hæresibus lapsu temporum invalescentibus Doctri-
næ Salutatis Eloquia facile diffuerent vel obsolescerent.

Prætermittimus jam MODUM TRADENDI evi-
dentissimum & terribilem: quippe DEUS ipse apud Exod. 19:
montem v. 9.

8 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

& 20: 18. montem Sinai, densâ caligine & tempestatibus prægnan-
19. tem, inter fulmina & tonitrua tubæque clangores *ex igne*
Heb. 12. locutus est, audiente universâ Gente, in maximâ, quan-
v. 18. 19. tam Orbis nunquam vidit, panegyri, sexcentis homi-
&c. num millibus præsentibus testantibus atque applauden-
tibus, quemadmodum etiam in hodiernam usque di-
em documentis perseverantibus mirabilis ille Judæorum
Populus se acceptæ Legis reum profitetur. Atque hunc
sanè Tradendi Modum, qui omnem humânam potestatis
mensuram limitemque quam longissimè excedit, malis
artibus fingi vel per imposturas fraudesque obtrudi po-
tuisse nemo sanæ mentis dixerit.

Ipsam verò SCRIPTORUM SACRORUM IN-
DOLEM consideranti omnia stupefâ sunt quæ obver-
fantur. Quis demum est, quin omnem vitæ illorum
rationem & institutum, pietatem, paupertatem, inge-
nuum candorem, innocentiam atque patientiam ipsis
etiam hostibus formidatam admiretur? Quis verò non
obstupescat paucissimos homines pauperculos, pîscato-
res, plebejos, existimationis suæ apud mortales quo-
cunque prodigos, imò vitæ ac fortunarum contemn-
tores, sinè armatis præsidiis, solo hoc *Admirabili Verbo*
munitos, subegisse Orbem ferè terrarum, quam latè tunc
patebat vel saltem cognitus erat?

Jam DOCTRINA ipsa, quam est SUBLIMIS &
excelsa atque longe supergressa omnem humanæ indu-
striæ investigationem? Jam mihi cum Paulo exclamare
Rom. ii: liceat: Ω βαθος απόντες καὶ συφιας καὶ γνώσεως θεῶς ὡς ἀνέξ-
33. εγένυται τὰ νείματα αὐτοῦ καὶ ἀνέξιχνασιν αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; &c. Quid
enim excelsius DEO γένη, illo, inquam Infinito, qui
ne quidem DEUS esset, si à nobis in humili glebâ de-
gentibus capi posset? Nonne totus ille *Admirandus Co-*
dex

DE ADMIRANDIS S. SCRIPTURÆ.

9

dex ad illustrandam DEI gloriam comparatus est? nonne homines à rebus humanis & transitoriis adeoque à se ipsis avocat? nonne illa omnia quæ in mundo & in nobis ipsis magni æstimare atque admirari solemus, præ Cœlesti illa Sapientiâ, inania, caduca & fœtida ~~πνεύματα~~ Philip. 3: esse demonstrat? Nonne illa sola *Admirabilis Doctrina* 8. ad veram atque æternam felicitatem aditum patefecit? Nonne Lectoribus suavissimum quasi gustum insinuat Æternitatis?

Unde & *admiranda* ejus SANCTITAS elucescit, quippe cùm terrestribus quisquiliis ac sordibus calcatis merè Spiritualia & Cœlestia commendet, & revulso impietatis fomite ipsisque quæ nobis à primis unguiculis insunt libidinum irritamentis ac seminibus rescißis, nostros etiam suavissimos affectus DEO in solidum mancipare consueverit: Neque est in rebus humanis Lex ulla vel morum disciplina vel scriptum ullum, quod tam puram integrumque ac omni partium plenitudine consummatam *Sanctitatem* complectatur: Expallescunt ac frigent Jura omnia, si ad *legem Spiritus Vitæ in Christo* com- Rom. 8:2 parentur: Nimirum haec est illa defæcata & castissima doctrina ~~περὶ τῆς Θεᾶς καθίστασης~~, quæ non lenocinatur vel indulget stolidissimis nostris concupiscentiis, nec intestino ac domestico pravitatis fermento patrocinatur, neque frenos laxat omnium primis motiunculis, quarum apud homines nemo pœnam luere solet, sed levissimarum etiam cogitationum igniculos compescit atque exturbat, ipsumque Conscientiæ tribunal testem appellat, ac omnes recessus, mæandros, latebras fundumque pectoris validissimè aggreditur. Jam verò quantum quidem ad PURITATEM & INTEGRITATEM S. S. pertinet, quam pridem Viri Magni asseruerunt,

B

Vestrum

10 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA.

Vestrū est, AUDITORES, judicare, an loco & tempore consentaneum sit, ut rem altioris indaginis copiōsius exponamus.

Neque minūs se exerit admirabilis SCRIPTURÆ MAJESTAS in STYLO & Scriptionis GEN-

2 Cor. 4: RE, in quo sīnē Rhetorum pigmentis ac mangoniis veritatis ad conscientiam manifestatio utramque paginam

facit. Quotus enim quisque est vel eloquentissimus & Angelorum linguis instrūctus, qui ad illam dicendi libertatem assurgere & S. S. ELOQUENTIAM depingere vel pro amplissimi argumenti dignitate aſſequi atque adumbrare possit? Evidem in confesso est, Sapientiam Divinam non redolere plausibilem illam & humānam Orationem verborum floſculis cincinnisque ſeſe venditantem, nec rapido levique curſu ac dicendi ge-

Jerem. 23: nere fertur, quod ☩ dixeris, veram tamen, gra-

ψ. 32. vēm, genuinam plenamque Divinæ virtutis & Cœlesti Majestate dignam facundiam ubique repræsentat: Neque quenquam tam bardum & ſtipitem arbitramur ut Dictionem DEI elegantioris ac sublimioris Suadæ prorsus expertem eſſe obtendat, in quā explanandā pridem Viri Illustres tūm vivā voce tūm scriptis & ſempiternā memoriā dignissimis monumentis desudārunt. Sermonis ac ſtyli, quo Spiritus S. in S. Literis utitur, proprietas imò singularitas (ut optimè gravissimus Theologus:) Simplicitatem & Majestatem miraculo verè Divino coniunctam habet. Quippe augustum & ad persuadendos hominum animos maximè efficax dicendi genus complectitur: Eloquentiam laudo, AUDITORES, non illam verborum lenociniis comptam & phaleratam pinguemque grandiloquentiam: non illam calamistratam, papaverē & ſesamo ſparsam & ex mellitis verborum globulis

con-

contextam, ut Seneca loquitur; Sed fecundam decoram & inusitatâ quâdam, ipsisque è Cœlo Angelis reverendâ auctoritate atque evidentiâ fulgurantem Orationem: Non quidem hîc invenias illas ociosas & multiplici figurâ distinctas delicatasque Veneres, aut blandæ elocutionis illecebras: nec adest affectata illa verborum numerositas, & piæ dulcedinis fucus: nec occurunt luxuriantia ornamenta ambitiosæ vanitatis, seu (ut egregie Eruditissimus Flacius:) *nugæ canore*, quæ in ostentatoriis Rhetorum scriptis maximè celebrantur, sed masculam deprehendes, nativam, sonantem, inquam, & tonantem *Eloquentiam* in quâ ambiguum est, utrum incredibilem *devorat*, an conjunctam cùm hâc suavissimam comitatem magis admireris. Paulus ipse profitetur se quidem Καθ' ὡρεοχήν λόγις ἡ σοφίας non venisse, neque prædicationem suam fuisse in persuasoriis humanae sapientiae 1 Cor. 2:1. verbis, flosculis nempe & schematibus Oratoriis, sed in demonstratione spiritus & potentia. Neque adeò omnem, sed humanam tantum & bullatam ventosamque Eloquentiam sibi derogat, atque illos perstringit, qui inanis gloriæ aucupio fascinati ἀνθεωπαγέσαινει & plebis demulcentæ gratiam affectabant. Audiamus in hanc sententiam præclarè differentem Illustrem Mornæum: *Volumus, credo, Deus noster utatur Inductionibus*, ut Plato; *Syllogismis* ut Aristoteles; *Elenchis*, ut Carneades; *Epiphonematis* ut Cicero; *argutiis* ut Seneca; *deligat vero verba ad pondus, ad numerum, ad sonum &c.* Si forte Edictum Regium eo Orationis genere edatur quis non ineptias Scholasticas rideat? certè quò lex simplicior, eò etiam aeterno Deo rerum Creatori convenientior quippe quò simplicior est, eò Vocem Ejus qui omnia potest melius exprimit &c. *ESAIAS in primis, Regii sanguinis Princeps, Regio & magnifico*

12 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

fico stylo utitur. Quamvis enim cothurnum non induat, est tamen sublimis vehemens, copiosus, resonans, terrorem incutiens: Audi ipsum tonantem Cap. primo: שְׁמַע יִשְׂרָאֵל אֱלֹהֵינוּ אֱלֹהֶיךָ כִּי יְהוָה רָבָר
Audite Cœli & auribus accipe terra, quia yehovah locutus est &c. Quis est tam vecors & jacenti aure, quin bellæ compositionis leporem, concinnas allusiones, emblemata tessellata & tinnulae Orationis Venustatem gravitatemque in illo admirabili Prophetâ agnoscat? quo in genere, inter alia innumera, Verbis cap. XXV. §. 6. blandam quandam & locupletissimam suavitatem inesse Bibliander olim existimavit. *Quid ad Esaiam Cicero?* exclamat iterum verè Nobilissimus Mornæus, *quid blandæ illæ insinuationes & pueriles ignorantie excusationes ad viva & gravia venerandaque ipsa Majestate Elaiæ exordia?* Quid verò? anne Mosen Prophetarum primum & Vetustissimæ Sapientiæ ac Theologiæ Oceanum silentio prætermittendum putamus? Vix ausim mihi persuadere, quenquam fore tam stupidum vel tam obdurata mentis, quin verba non rudia & agrestia, quemadmodum multis videntur, sed viva, sed animata, flammea & aculeata in Scriptore maximo reperiri fateatur: si quis tamen anceps & suspensus hæreat, legat iterumque attentiori animo perlegat, tum primum Caput Geneseos & XLIX., tum Lev. XXVI. & Deuteronomii ultima Capita, quolibet pignore ausim contendere, illum nisi humanitatem ipsam & omnem sensum Numinis prorsus abjecerit, non sine horrore quodam pectoris & totius corporis trepidatione à Sacra lectione discessurum esse. *Quid Sapientissimi Regum Salomonis Sententiis atque Apophategmatis in philosophiâ morali acutius excogitari possit?* Prodeant ex Peripato Magistri vel prisorum Stoâ, qui Vanissimæ mortalitatis scenam

scenam luculentioribus magisque vivis coloribus depinxerint, quām Rex Iſraēlis maximus in suo קֶלָה: Sanè Davidis Patris Psalmos vivam quandam Pietatis Scholam & sanctioris consolationis thesauros, fontesque beatissimos, imò Theologiæ Universæ Breviarium continere nemo nisi à pietate alienissimus inficias iverit. Quis illas nervosas & patheticas Jeremiæ Conciones, quibus DEI indignationem adversus peccata, ipsamque tristissimam ac deplorandam Refractariæ Gentis faciem repræsentat, dignis encomiis prosequatur? Quis Ejusdem & Danielis ardentissimas ac flexanimas ad DEUM Orationes se industriâ suâ imitari vel assequi posse speret? Si quis magnificentiam & Heroicam styli sublimitatem desideraverit, adeat me suaſore Habacuci Cap. IV., ubi aduentum Christi simulque Evangelii ac Ecclesiæ lucem graphicè repræsentat. Atque hōc de argumento immensa oratio est: quōd si vel maximè tantæ rei adumbrandæ capax ingenium Pater Spirituum cuiquam largitus esset (quod nemini mortalium contigisse arbitror) dies tamen me potius defecerit, quām inexhaustas has sapientiæ divitias Vestris oculis animisque sistere valeam. Nemo Augustino rectius augustiusque tulit judicium: Non solum nihil sapientius verum etiam eloquentius videri posse, neque aliter loqui debuisse S. Scriptores. Sicut enim, pergit, est quædam eloquentia quæ magis etatem juvenilem decet &c.: Ità est quadam quæ viros summā autoritate dignissimos planeque Divinos decet. Hāc illi locuti sunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa, nimirum germana illa & solida Eloquentia, quæ quanto videtur humilior tanto altius omnes alios Scriptores transcendit &c. Hāc Latinorum Patrum eloquentissimus Augustinus, qui fatis tenuiter & jejunè de S. Literarum stylo fenserat, cùm extra

Vide
Jerem. 14:
v. 7. &c.
Dan. 9:
v. 4. &c.
Hab. 3:
vel 4.

14 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

Christum versaretur, aperte professus: *Visam sibi fuisse
S. Scripturam indignam quam Tullianæ dignitati compa-
raret, eò quod acies ejus non penetraret interiora ejus &c.*

*2 Cor. 10: Quis vero PAULO Apostolo eloquentior? Nonne Epis-
tolæ Ejus *βαρεῖαν τοῦ ιωάννου* ipsis etiam adversariis suffra-
gantibus? Nonne potentior quædam, seria & Cœlestis
1. 2. &c. dicendi facultas undique elucescit? Quàm mirificis &
& cap. 4: plusquam maternis blandimentis ad se allicit Lectores?
1. &c. & quantâ Ipsum potentia & vi spiritus passim incessisse vi-
2 Cor. 5: demus ut nos ad Christum raperet? quantâ non quidem
v. 10. II. laterum contentione, sed divinioris afflatûs vehementiâ
&c. movet, persuadet, imò cogit, agitat, percellit, vim
infert? quamvis enim quæsitis verborum pigmentis Vi-
rum verè *admirandum* adulatorum more uti noluisse ult-
trò fateamur, tamen Orationis ipsius totam indolem,
Χαρακτῆρα, contextum seriemque proprius consideranti
manifestum est, nihil excellentius, nervosius vel *admirabilius* dici potuisse: Neque veretur profiteri eloquen-
tissimus Beza noster, nullam se in ipso Platone similem
grandiloquentiam, nullam in Demosthene parem *devotionem*
comperisse, quoties animos vel metu Divini judicii perter-
refacere vel ad contemplandam DEI bonitatem pertrahere
constituit: Nullam denique vel in ipso Aristotele & Galeno
præstantissimis alioquin Artificibus magis exactam docendi
methodum invenisse. Vestram appello Conscientiam,
AUDITORES, Vestrum est judicare qui pridem ex-
perti estis, quanta elocutionis lumina, quàm copiosa &
abundans *έπιστημα* & plenitudo, quantæ dictiōnum retum-
que opes cùm in omnibus Scriptis Apostolicis, tum maxi-
mè in aureis atque artificioſissimis, *ad Romanos*, utrā-
que *ad Corinthios*, *ad Galatas*, *Epheſios*, *Philippenses* &
Hebreos Epistolis &c., concatenatis quasi & divite sensu*

præ-

prægnantibus atque identidem fortius redeuntibus sententiarum periodis, occurrant! Proh hominum fidem! pectora vestra iterum pulso & alloquor, AUDITORES, quanti animorum motus? quām stupenda δέινωσις & ἐνέργεια, quoties vel beneficia Dei ac utriusque Testamenti Nucleum vel dignas Christianis virtutes vel peccatorum fœdam atrocitatem repræsentare voluit? Quot Capita, tot sunt Orationes patheticæ, momenta & pondera rerum ingeminantes! Quot verba, tot fulmina & tonitrua! *Quæ Critici*, ut egregiè judicat non inferioris subfelli Philologus, in Homero Thucydide & Pindaro admirantur singula, ea in S. Scripturarum stylo esse universa planum fieri potest: Quippe ita visum fuit Spiritui S. & hoc effecit Pater Luminum, ut id ubique in S. Literis excelleret, quod nulla unquam humana industria elaborare vel assequi posset. Omnis ævi memoriâ dignum & ut seculo nostro pudorem afferat, Fastis atque Annalibus inscribendum est, quod de duobus Mirandulanis Comitibus ætatis suæ ornamentis proditum est, nimis illos, postquam omnes probatos auctores perlegissent, in hisce Scripturis acquievisse, & postquam humarum literarum eos satietas ceperit, his acquievisse.

Quantum verò ad S. Scripturæ PERSPICUITATEM & EVIDENTIAM pertinet, ecquis demum est tam perficitæ frontis, ut huic excellentissimæ virtuti ausit obstrepare? Num Deus mentis & vocis & lingua Artifex disertè loqui non potest? Ut merito exclamat Christianorum Cicero Lactantius. Quis verò illam amabilem & cum mirâ gravitate conjunctam nervosamque Eloquenceis coherentiam, seu similitudinum splendorem, seu facilem fluidamque veritatum consequentiam, seu vim persuadendi maximam, in dubium vocaverit? Utinam

16 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

nam DEUS Opt. Max. mihi jam peroranti πλον μέτεω
gustum quandam concederet illius luculentissimæ facul-
tatis, quam Latuii *Subjectionem* vocant, quâ in S. Li-
teris res quasi ante oculos spectandæ proponuntur! Ne-
que illam stupendam EFFICACIAM ἐνέγεισαν ac δείνωσιν
admirabilem quisquam mortalium felicis expresserit,
quàm qui optimè potuit ipse eloquentissimus Gentium

Apostolus: Ζῶν γαρ ὁ λόγος τῷ Θεῷ, καὶ ἐνεργεῖ, καὶ τομώπε-
ρος ὡσὲ πᾶσαν μάχηνεν δισμον, καὶ δινόμενος ἀχει μετεστεύ-
ψυχῆς τε καὶ πνέυματος ἀρμῶντε καὶ μυελῶν, καὶ κελπὸς ἐνδυμήσεων

Heb. 4:12. καὶ ἔνοιῶν καρδίας. Sermo Dei est virus & efficax & pen-
etrantior quovis gladio ancipiti, & pertingens usque ad
divisionem animæ simul & spiritus compagumque & me-
dullarum &c. quibus verbis uno spiritu procurentibus
& vivacissimam de quâ agimus Efficaciam quasi torrente
quodam orationis describentibus nihil admirabilius e-

Rom. 1:16. nuntiari potest. Nimirum est potentia Dei ad salutem
& comitem habet virtutem quandam insuperabilem, per
quam occupat mentes, penetrat animos, oppugnat af-
fectus, conscientias terret & consolatur atque unicè
comparata est ad debellandas vel emendandas elevan-
dasque cogitationes nostras. Utinam hoc ipso tempo-
ris puncto fulminis instar radiosa Dei Gratia illucesceret

Ephes. 1: oculis nostris, (iterum pro me loquatur Paulus verbis
17. 18. 19. pariter admirandis & Spiritum dictantem sonantibus :)

ἐις τὸ ἐιδέναι ήμᾶς, τίς ἐστιν οὐδὲν τῆς κλήσεως αὐτῆς, καὶ τίς ὁ ἀλλά-
τος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτῆς εἰς τοῖς αἰρίσιοις. Καὶ πί τὸ ὕπερ

βάθμον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτῆς εἰς ήμᾶς τῆς πιστεύοντας καὶ τὴν
ἐνέργειαν τῆς περίπου τοῦ ισχύος αὐτῆς ut sciamus &c.! Confer

Philip. III: 10. Frigent & marcescunt Plato, Demo-
stenes & omnes Græcia Oratores, si cum hisce con-
tenderis quæ allegavimus, neque crediderim Isocra-
tis,

tis, qui unam Orationem viginti talentis vendidit, jucundissimam gravissimamque sermonis structuram majori dulcedine blanditam esse disertissimis Græcorum. Atque hæc sanè incredibilis & eximia virtus vel inde patescit, quod ferocissimum ac libertatis suæ tenacissimum animum humanum subegerit, Deoque uni & soli, licet maximè relunctantem, nexus mancipioque, imò usu & fructu totum addixerit, vindicaverit, & quidem, quod omnium maximè mirandum est, per *Legem Libertatis* Jac. 1: 25. *Regiam!* Animadvertis, ut opinor, AUDITORES, & 2:8. prorsus insignem atque omnibus palmis anteferendam victoriam, quâ vincitur homo ut sui ipsius vicit & adversus Mundum invictus, Dei gloriæ obtemperare adfuescat, prorsus mirabili servitutis genere utpote in quâ non gemitus & suspiria dicit, sed latetatur, exultat & triumphat, quippe è morte in vitam, è tenebris in lucem atque è contubernio sordidissimæ impietatis in Civitatem Cœlestem translatus: Hæc est illa potentissima *Vox loquentis Dei*, quæ prosternit & captivos dicit hostes non vi externâ vel armorum apparatu & molimine terribilis, sed *gladio spiritus* & simplicitate Evangelii, quod fermenti instar permeat mundum & increasit per mille mortes atque colluentes Martyrum flamas, jamque, frustra obnitentibus hominum odiis & insidiis, per tot secula conservatur, tantamque & tam inusitatam in ipsos etiam Reges exercet auctoritatem, ut illa *ωληφοεια* seu plenissima fidei persuasio nullius argumenti oppositu revinci, nullius lucri vel emolumenti illecebris corrupti, nullis denique adhibitis machinis vel tormentis extorqueri possit, quamvis manifestum sit, hanc ipsam Doctrinam à præjudiciis & opinionibus hominum remotissimam, nullisque terrenis commodis subnixam, imò suavif-

C

suavif-

18 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

suavissimis nostris affectibus adversâ fronte oblictantem, ad illas res maximè tendere, quas nullus adspexit oculus, quasque demùm post diram sepulchri noctem & atrata funera, clausis luminibus visuri sumus. O stupendam & omnis humani ingenii fastigium longè supergressam omnique exceptione vel demonstratione majorem VERBI EFFICACIAM, quæ mihi pollicetur insinuatque vitam interminabilem, cùm inter vivos esse desiero adipiscendam, & securum esse jubet persuasissimumque de coronâ triumphali, quam Ipse olim de infelici arbore suspensus sed brevi ingenti cum maiestate redditurus Dispensator æternitatis & humani generis JUDEX capiti meo, quando pridem ne umbram quidem vestigiumque sui reliquerit, post universi desflagrationem (quo loco vel tempore nescio) justè impositurus sit!

Quis jam illam tot insignem fulgentissimis characteribus ac ipsius veluti Solis omniumque syderum radiis descriptam *Divinitatem* non agnoscat? Quis, inquam, eminentissimæ vocis oraculo inter tot ostenta & prodigia promulgatam atque adversus hostium furores, juxta tenorem Divinarum *promissionum*. (cùm infinita alia præclara & vetustissima monumenta tot incendiis & edaci temporum tabe consumpta doleamus) perpetuo miraculo conservatam & in ferociissimorum hominum, PAULI aliorumque animis insinuatam *Veritatem* aust in dubitationem adducere? Illam quoque in Scriptoribus & natione & temporum locorumque intercapedine diversissimis, quoad ipsum fundamentum & salutaris doctrinae coagmentationem, HARMONIAM admirandam atque amicabilem conspirationem: quin & omnium populorum & Seculorum ipsorumque Gentilium Judæorum & Mahummedanorum, quoad corpus ipsum & partes *principias Historiae*

*Historica veritatis consensum verè insignem, quem pri-
dem Viri illustres luculenter evicérunt, hisce angustiis con-
cludere non possumus: Neque hujus spatii est, ut illam
in typis latentem vel figuris abumbratam multiplicem
DEI sapientiam copiosius exponamus. Ecclesiæ, dum
in hisce terris peregrinatur Tres Ætates, & singulis Æ-
tates in VII. notabiles Articulos, sive Periodos distribu-
tas passimque in Verbo depictas quis non admiretur?*

*Quemadmodum & Septimus ab Adamo Enochus qui de Jud. 14.
Adventu Christi illustre vaticinium edidit, vivus in Cœ- &c.
lum raptus est, & Salomo Templo Jehovæ exstremo
VII. insumpsit annos, sicut & 7. diebus Azymorum ac
Tabernaculorum Festum durare debuit, ut Israelem per
VII. ætates Tabernaculo servitum esse significaretur &c.
Jam verò Illustrissima VATICINIA rerum maximarum, Vide Esa.
complementis atque EVENTIBUS suis roborata, Il- 41: v. 21.
lum apertissimè & sinè controversiā indicant Autorem,
& 46:10.
qui ipse ad ea provocare & hoc argumento falsis Numi-
nibus illudere solet. Nonne illa Sapientissima Dispen-
satio Prædictionum Divinarum omnem mortalis ingenii
vim, omnem hominum Dæmonumque industriam
quàm longissime superat? Obmutescant Augures & Ha-
ruspices, qui non nisi ad avium volatum & extorum pe-
cudis inspectionem fata metiebantur! Ridemus Gen-
tilium Oracula, quæ ab Eruditis penè trecenta nume-
rantur, lubrica, ambigua & ipso sensu tortuosa, quæ con-
sultores suos frequenter decepisse, Cyri, Pyrrhi aliorum-
que exemplis manifestum est. Spectavère Deum in
antro suo Pagani Sacerdotes: quemnam verò Deum?
Serpentem, fortè eundem, qui Matrem nostram per-
nicioſiſſimo mendacio primū seduxit. Quis Astrolo-
gorum unquam Imperiorum, quæ suis quæque æratibus
ampliora*

20 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

ampliora videbantur vastam molem, successionem atque eversionem, quam disertissimis verbis Prophetæ depingunt, animo suo complexus est: Nonne temporis & personarum designatio etiam cum annotatione nominis non multis modò annis sed & Seculis antequam res ipsæ exhiberentur, Divinitatem Summi Moderatoris loquitur? Nonne prima illa promissio de *Semine Mulieris contrituro caput Serpentis* 4000. circiter annis facta ante mirabilem illam Messiæ Θεαθηπτικæ victoriam impletam, foederis Gratiae ac Evangelii universi medullam & nobilissima capita ita comprehendit, ut verè omnium *missionum Mater* sedes & scaturigo dici mereatur? Nonne

Gen. 3:15. *trituro caput Serpentis* 4000. circiter annis facta ante mirabilem illam Messiæ Θεαθηπτικæ victoriam impletam, foederis Gratiae ac Evangelii universi medullam & nobilissima capita ita comprehendit, ut verè omnium *missionum Mater* sedes & scaturigo dici dici mereatur? Nonne

Gen. 9:25. *Præco ille Justitia* Noachus de fatis Humanæ Generis Universi, de sede in primis Ecclesiæ & servitute Canaanorum illustre vaticinium edidit? Quid verò illâ Pro-

Genes. 12: missione *Patri Populorum* Abraham factâ admirabilius
¶. 3. &c. vel excellentius cogitari possit? Isacum ut & Jacobum

Genes. 25. ipsum in suo Testamento Filiorum & totius nascituræ
27. & 49. posteritatis sortem luculenter prædixisse nemo nisi à sa-
cristi monumentis alienissimus ignorare potest. Quis de-
mum est tam ferrea frontis, tam vecors & plumbeus,
cui non moveant admirationem maximam antiquissima
quæ apud MOSEN extant vaticinia cùm *Bileam*, qui

contra voluntatem suam à Dei Spiritu actus Israelis bea-
Num. 23. titudinem & communionem cum Deo, ortum *Stellæ ex*
& 24. *Jacobo* sive Messiæ adventum & Ecclesiæ collectionem

Deut. 18: verbis magnificentissimis prænuntiavit: tūm Mosis ipsius
¶ 5. de *Prophetâ* maximo, deque ingratia populi suppliciis
gravissimis, quæ deinceps vidit atque etiamnum videt

Conf. Mundus, in terribili illo Capite Levit. XXVI., & in
Deut 28. & Canticō, quod in hodiernam usque diem contra Ista-
go. 31. 32. 33. lem testatur? In quam sententiam cùm ante aliquot

annos

DE ADMIRANDIS S. SCRIPTURÆ.

21

annos pertinacissimæ Gentis multitudinem in Sarmatiâ
vidissimus, in Heroicos hosce erupimus :

Heu stupidam Gentem cui spissa volumina Mosis
Obduxere oculos! quæ totum sparsa per orbem
Quærerit & ignorat jam per tot secula Christum!
Magne DEUS quām vera Tui præstigia verbi?
Teltis adest Populus, cui pallida signa pudendis
Vultibus impresit contempti Fœderis ulti: &c.

PSALMORUM Davidicorum de quibus jam suprà
paucula adspersimus, longè potissimum partem esse pro-
pheticam, quemadmodum & Sermonem ejus Emot- 2 Sam. 23.
tualem Regio prorsus & Heroico Stylo procedentem,
vix quisquam ignorare potest: Neque arbitror, ullum
aliquem nisi bardum plumbeum & stipitem, ESAIÆ qui
Evangelistæ Quinti χαραγμένος pridem adeptus est, sub-
limem præcellentissimamque Sapientiam, quâ Christi
& Ecclesiæ imaginem faciemque vivis quasi coloribus
depinxit, ausurum esse in disceptationem dubiumque vo-
care? Nonne Cyrus vidit Ejus Prophetias quæ ducentis
& decem annis ante Persicæ Monarchiæ natales scriptæ
fuerant, in quibus (id quod maximè stupendum) etiam
Cyri nomen expressum erat? Nonne ingressum Perfa- Esa. 45.
rum in urbem Babylonem per alveum unde Euphrates ab- Esa. 44:
scesserat, Esaias & Jeremias prædicti? Quis nescit Ex- v. 27.
cidium Decem Tribuum sive commixtionem cum aliis Jerem. 50:
gentibus ne essent populus, sexagesimo & quinto accuratè 38.
anno contigisse ex quo Esaias eam prænuntiaverat? Quem- Esa. 7: 8.
admodum & Regia Dignitas à Tribu Judæ & Familiâ
Davidis in perpetuum recessit, postquam puncto quoque
temporis observato totidem anni præteriissent, nimis 390. quot diebus Ezechiel peccata totius Domus Israelis
portare debuit, quibus XL. Anni peccatorum Domus Ju- Ezech. 4:
da 4. 5. 6.

C 3

22 ORATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

de concludendi sunt. Cladem Scythurum Cyaxaris insidiis peremptorum ab Ezechiele notatam esse pridem E-
 Ezech. 32: rudit quidam existimavere. Et Junonis simulacrum dex-
 26. trâ Serpentem prehendens in Templo Beli & alia Numina
 Esa. 46. abolenda esse Esaias & Jeremias luculenter prædixere,
 Jerem. 51: aliaque innumera quibus recensendis jam supersedemus.
 44. Quis non admiretur depictas apud Danielem IV. Monar-
 Dan. 2: 38. chias, & ferream Romanorum potentiam, seu Imperii
 39. 40. &c. Orientalis & Occidentalis, seu Civilis & Ecclesiasticæ
 Potestatis divisione laceratam, tûm in Statuâ Nebucad-
 Dan. 7: 17. nezari objectâ, tûm in IV. Bestiis sibi ordine succeden-
 tibus, illumque cunctis obſtupescentibus Seculis terri-
 Dan. 7: bilem Dominatum ab exiguis rudimentis in immensum
 24. &c. excrescentem in *Cornu parvulo* repræsentatum? Quis
 apud eundem verè Regium Ministrum non animadver-
 Dan. 8: 4. tit *Hircum illum cornutum* sive Alexandrum M. (quem-
 5. 6. &c. admodum & in Nummis exhibetur) qui *Arietem Dari-
 um* nempe Codomanum aliquot præliis prostravit, &
 dicto citius, nullo obstante, quasi torrente quodam &
 incredibili victoriarum cursu omnem Asiam persultavit,
 de quo adeò verè Justinus verbis ad Danielem proximè
 accendentibus: *Hac tam parvâ manu universum terrarum Orbem, utrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est.* &c. Illorum verò qui anteceſſerant longè potentissimorum Regum Cambysis,
 Jerem. 49: Darii Hysdaspidis & Xerxis infaustas expeditiones con-
 35. 36. &c. tra Æthiopes Scythas atque in primis Græcos in Tabu-
 Ezech. 32: lis Propheticis delineatas esse quis negaverit? Illustrum
 24. &c. Epocham LXX. Hebdomadum sive CCCCXC. anno-
 Dan. II: I. 2. rum vexatissimam quidem sed tamen admirandam justifi-
 Dan. 9: 24. simamque seriem, imò totam illam Historiam feralium
 &c. & patricidialium Bellorum quæ inter Ægypti & Syriae
 Dan. 11. Reges

DE ADMIRANDIS S. SCRIPTURÆ.

23

Reges gesta sunt non sinè stupore legi posse, Seculi sui Dan.ii:18.
miraculum Bochartus pridem jure meritoque existimavit. 30. &c.

Nonne de Antiochis Magno & Epiphane, de *Navibus*

Chittim seu Romanorum Classe, itemque de Lucio Scipione Africani Fratre disertis clarissimisque verbis Daniel loquitur? XII. Asiac urbes unâ nocte prostratas, illamque *Templi Secundi gloriam præcellentissimam apud Hag.* Hag. 2: 7. *gaum* invenire facile est. Neque quenquam nisi men- 8. &c.

tis impotem latere potest, altissimorum Mysteriorum plena esse *Novem Emblemata*, quæ Zacharias exhibit: Zach. 3: 9. seu *Lapidem Angularem* insignitum septem oculis intro- Zach. 4: 2. spicias, seu *Candelabrum totum Aureum* cum 7. Luciferis septemque tubulis: seu *Mulierem in mediâ Ephâ sedentem*, illam nimirum famosam Meretricem duabus Potestatibus subnixam & non sinè magno molimine co- &c.

ercitam: seu *Quatuor Currus inter duos montes aheneos exequentes*, quatuor Imperiorum Symbola, intueamur &c.

Nonne *Malachias* sigillum V. Testamenti appellari me- Mal.3: 22. retur, quippe qui prophetiæ suæ Scriptæ tempus cum Johannis Baptista & Angeli Fœderis adventu connexuit, quemadmodum & Johannes Apostolus Canonem N. T.

conclusit, exclamans, *Veni Domine jesu?* Atque hujus Apoc. 22: sanè DOMINI nostri, Prophetarum Primi ultimi & maxi- 19. 20. ximi, insignes ac suavissimis Parabolis involutas Prædictiones sacro jam silentio transire cogimur. Quemadmodum & VII. Epistolas, VII. Sigilla, VII. Tubas, Duorum Testium casum & gloriosem suscitationem, Duplicis Bestiæ ortum progressumque, Mille annorum Regnum & alia Apocalypses Admiranda, quibus Ecclesiæ & Orbis facies depingitur, pariter venerabundi prætervehimur.

Neque sanè operæ pretium videtur patientiâ vestrâ longius abuti Auditores, aut in patentissimum hunc cam- pum

24 ORAT. INAUG. THEOL. DE ADMIR. S. SCRIPT.

pum & PROPHETIARUM latifundia descendere, cùm Maximè Reverendus & Celeberr. D. Promotor HULSIUS hanc illustrem materiam pridem fusè occupaverit, cuius *Valles Prophetarum* loquentur Sera Nepotum Secula, quoque valles extiterint & montes!

Faceant igitur & obmutescant falsorum Numinum Cultores! Solus quippe noster *Admirandus Codex*, quem mihi Dei Gratia adspirante interpretandum sumpsi, præ omnibus omnium Gentium Oraculis & Scriptis gloriouse triumphat: Etiam si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae!

Vobis verò, PATRES CONSCRIPTI, *Excellētissimi Universitatis & Eminentioris Doctrinæ PROCERES*, atque Tibi primo loco, MAGNIFICE D. PRORECTOR, & quo TE nunc primùm nomine compello, COLLEGA maximè Venerande, Vobis, inquam, gratias debeo, habeo & ago quas toto pectori concipere possum amplissimas, immortales & maximas, quod me Regiae Clementiae auspiciis designatum Collegam Vestrum tantà humanitate complecti & Vestris etiam, non emendatis vel ignobili prensatione quæsitis, sed per flexaniam & sublimiorem Providentiam conspirantibus suffragiis cohonestare, tamque benignâ fronte me imminorem excipere dignati fueritis. Ego vicissim sancte spondeo & polliceor, quidquid in omni officiorum genere à mea tenuitate proficiisci possit, Vobis & Academiæ sacrum dicatumque fore. Atque hoc velim existimetis, nullam me causam vel occasionem prætermisurum esse, quā meam erga Vos observantiam & ad quævis jussa atque desideria paratissimam promptitudinem testamat facere possim!

D I X I.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1663232822/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1663232822/phys_0030)

DFG


F. Rennier



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1663232822/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1663232822/phys_0032)

DFG



ADMIRANDIS S. SCRIPTURÆ.

23

unt non sinè stupore legi posse, Seculi sui Dan.ii:18.
chartus pridem jure meritoque existimavit. 30. &c.
tiochis Magno & Epiphane, de *Navibus*
omanorum Clasfe, itemque de Lucio Sci-
Fratte disertis clarissimisque verbis Daniel
I. Asiae urbes unâ nocte prostratas, illam-
undi gloriam præcellentissimam apud *Hag.* Hag. 2: 7.
facile est. Neque quenquam nisi men- 8. &c.
atere potest, altissimorum Mysteriorum
ven Emblemata, quæ Zacharias exhibit: Zach. 3: 9.
ngularem insignitum septem oculis intro-
andelabrum totum Aureum cum 7. Lucifer-
tubulis: seu Mulierem in mediâ Ephâ se-
nimirum famosam Meretricem duabus
ibnixam & non sinè magno molimine co-
&c.

Quatuor Currus inter duos montes abeneos
uor Imperiorum Symbola, intueamur &c.
bias sigillum V. Testamenti appellari me- Mal. 3: 22.

qui prophetiæ suæ Scriptæ tempus cum
stæ & Angeli Fœderis adventu connexuit,
m & Johannes Apostolus Canonem N. T.
clamans, *Veni Domine jesu?* Atque hujus Apoc. 22:
11 noſtri, Prophetarum Primi ultimi & ma- 19. 20.

ac suavissimis Parabolis involutas Prædi-
jam silentio tranſire cogimur. Quemad-
. *Epifolas*, VII. *Sigilla*, VII. *Tubas*, Duorum
& glorioſam fufcitionem, Duplicis *Befia*
ſumque, Mille annorum Regnum & alia
Admiranda, quibus Ecclesiæ & Orbis fa-
r, pariter venerabundi prætervehimur.

ne operæ pretium videtur patientiâ vestrâ
uditores, aut in patentissimum hunc cam-
pum